


penditur, vindictam ut plurimum sat gravem per totum morbi decursum sumit, & quod præfiscini dixerim, facilius morbos arduos satis, sola Diæta, absque Pharmacia, quam versa vice, debellari posse; ita & sub cura partium corporis humani situ correptarum comparatum, ut Pharmacia Chirurgia & regimen justum circa sic dictas res non naturales socias sibi manus jungant. Commutet proinde ægrotus *aerem*, si fuerit uliginosus & humidus, cum puriori & sereno, vitet nimium calorem pariter ac frigus externum. *Cibus* eligat evpeptos non facile fermentescentes, nec acidos, duros, præpingues, salfos, & putredini proximos, sed carnes deamet recentes, volatilium magis quam quadrupedum, utpote facilius concoquendas. Ex quadrupedibus caro agnina, vitulina & in robustioribus bubula magis convenit. *Potus* sit probe defæcatus, tenuis, & in sufficiente quantitate assumtus, aquam præferat cerevisiæ, sive simplicem, sive cum hordeo, micis panis albi, rasura Cornu Cervi, Radice Scorzonerae, Corticibus Citri recentibus, vel pauxillo Cinnamomi decoctam, cui, si nil obstat, haustulus vini jungendus. Cane e contra & angue pejus fugiat potulentia inebriantia, & nimis spirituosæ, qualia sunt cerevisia generosa, spiritus frumenti vel Vini, κατ' ἀντιφραση sic dictæ Aquæ Vitæ, Hydromel &c. *Motus* quidem maximopere commendandus esset, si vires ægroti permitterent, interim haud se totum *quieti* tradat, sed quantum imbecillitas perferre potest, membra subinde moveat. Eadem dicta sunt de nimio *somno*, quippe qui tonum fibrarum nimis relaxando, & spissitudini sanguinis ansam præbendo, hisce ægrotis est insensibilissimus. *Atum* semper fervet apertam, & alimentis leni vi eccoprotica gaudentibus e. g. prunis, passulis minoribus, pomis Borsdorffioris officii sui admoneat; *Transpirationis* quoque *insensibilis* rationem habeat, utpote in qua magnum est collocatum restitutionis præsidium. Ab *Animi pathematibus* gravioribus, præsertim ira atque mærore omni possibili modo sibi caveat, & tranquillitatem potius, quæcunque etiam obveniant, retineat,

TANTUM.

 (0) 